

I. Narratur vnctio Christi, cuius præcipuæ circumstantiæ considerandæ sunt hæ: 1. Quis effuderit vnguentum, videlicet Maria, Lazari soror. 2. Vbi effuderit, nimirum in domo Simonis leprosi antea, sed à Christo sanati, super caput Christi. 3. quam preciosum illud fuerit, trecentorum videlicet denariorum, qui ad nostram monetam computati 40. conficiunt florenos, singulis denariis pro duobus bacionib. acceptis. 4. Cur id fecerit? videlicet 1. ex amore quo flagrabat erga Christum. 2. in honorem sepulturæ ipsius. Et hæc est textus pars prima.

II. Subiiciuntur diuersa de hoc facto iudicia. Aliud enim iudicium fuit Iudæ, & discipulorum, aliud Christi.

Iudæ, & condiscipulorum, sine dubio ab ipso corruptorum, & irritatorum iudicium, mulieri iniquum fuit. Improbarunt enim factum eius, & contra id murmurarunt. Rationes indignationis suæ allegarunt has: 1. Quod sit profusio donorum Dei & expensæ inutiles, in nullum euidens emolumentum factæ. 2. Quod vnguento illo diuendito, multi pauperes eo medio subleuari potuissent.

Christi autem iudicium quo mulieris factum defendit, fuit æquius. Rationes defensionis suæ adduxit has.

1. Vna vice hoc sibi factum esse, nec imposterum id amplius euenturum.
2. Si pauperum vobis cura est, eos semper habebitis vobiscum, me autem non semper.
3. Occulto Spiritus instinctu, meam mortē quæ nunc vicina est, & sepulturam hac sua vnctione ob oculos ponere voluit.
4. Posteris, ad finem mundi vsque factum hoc mulieris prædicabunt, Ergo vos illud reprehendere non debetis. Hęc secunda pars est.

III. Ponitur defensionis huius euentus. Reliqui discipuli Christi apologiam æquis animis admittunt: Solus Iudas bonam consulere, bonoque animo esse non potuit. Ideo ad Sacerdotes se conferens, efflagitatâ pecuniâ, ipsis proditoriâ suam operâ ad Christum Magistrum suum tradendum obtulit.